

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput VII.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

Intret postulatio mea in conspectu tuo:
secundum eloquiū tuum eripe me à peccatis.

Cruetabunt labia mea hymnum laudis:
cum docueris me justificationes tuas.

* laudabit * Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum:
quia omnia mandata tua aequitas.

Fiat manus tua, ut salvet me: quoniam
mandata tua elegi.

Concupivi salutare tuum Dñe, et ideo
lex tua meditatio mea est:

Vivet in ea anima mea, et laudabit te.
et iudicia tua adjuvabunt me.

* perdita est Erravi à via recta, sicut ovis, quæ * perit:
quare servum tuum, quia mandata tua
non sum oblitus.

Caput VII.

Lamentationes animæ peccatricis.

Tam grande malum est peccatum, ut nobis non
sufficere debeat, de eo semel doluisse, sed etiã
singulis diebus, seu toto vita tempore ad ins-
tar S. Petri dolorem renovare nos oporteat.

7 ac super eo
plangere,

Lamentatio I.

Plorans ploravi in nocte, et lacryma in
maxillis meis. Tribulatio et angustia in-
venerunt me, et non est, qui consoletur me.

Heu peccavi, et aggravati sunt compedes
mei, et dolor meus in conspectu meo est semper.

Ah miseremini mei, miseremini mei, saltem
vos amici mei; quia repleta est malis anima
mea.

Heu vigilavit super me iugum iniquitatum
mearum, et incurvatus sum nimis: Lassatus sum
in via iniquitatis, et anima mea inferno appro-
pinquavit.

Ah miserere mei Deus, miserere. Sine me paululum, ut plangam dolorem meum; vadet enim animam meam vita mea, et in amaritudine moratur oculus meus.

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo die ac nocte, quia recessi a deo salutari meo, dereliqui ^{exca-} ~~torē~~ meū et offendi sumum meum benefactorem.

Super hoc plangam, et ululabo: faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum.

Lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo. Memoria memor ero delictorum meorum, et tabescet in me anima mea.

Deus meus! dolor meus renovatus est: pono lacrymas meas in conspectu tuo. Ah miserere mei Deus, miserere.

Dolorem enim et tribulationem inveni, quia torrentes iniquitatum mearum conturbaverunt me.

Erravi sicut ovis, quae periit; ideo ego plorans, et oculus meus deducens aquas.

* Jerusalem, Jerusalem convertere ad Dominum Deum tuum. * Anima

Lamentatio II.

O vos omnes, qui diligitis me, attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus; anxius est enim spiritus meus, et in me turbatum est cor meum.

Vide Domine afflictionem meam de inimicis meis; posuerunt enim animam meam desolatam, et tota die moerore confectam.

66
Ideo adharet pavimento anima mea, moestum enim factum est cor meum, et contenebrati sunt oculi mei pro fletu.

Ecce me elongavi fugiens, et mansi in solitudine iulans et moerens.

O Consolator optime spes suspirantis anima, te mea quaerunt lacryma: apud te est os meum sine voce. Ante te est omne desiderium meum et gemitus meus, non est absconditus.

Consolare me, consolare, quia defecit gaudium cordis mei: versus est in fletum oculus meus: et rugio à gemitu cordis mei, quòd unquam offenderim te.

Tristis est anima mea usque ad mortem; quia ego sum, qui peccavi; ego sum, qui iniquè egi: ego sum, qui te ad iracundiã provocavi.

Caligent iam palpebrae meae à fletu: exitus aquarum deducant oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Deducant oculi mei lacrymas per diem et noctem, et non taceant.

Cui comparabo te, o anima mea filia Jerusalem; magna est enim velut mare contritio tua, quis medebitur tui?

Jerusalem, Jerusalem convertere ad Dñm Deum tuum; bonus est enim Dominus, sperantibus in eum et anima querenti illum.

Huc spectat Oratio ^{Regis} Manasse, quae aptè congruit anima peccata sua lugenti.

Domine omnipotens, qui fecisti coelum et terram, quem omnia pavent, et tremunt à vultu virtutis tuae; quia importabilis est magnificentia gloriae tuae, et insustentabilis ira comminationis tuae super peccatores; immensa verò et investigabilis misericordia promissionis tuae; quoniam tu es Dominus, altissimus,

benignus, longanimis, et multum misericors,
et poenitens super malitias hominum.

Tu Domine secundum multitudinem boni-
tatis tuae: promissisti poenitentiam et remis-
sionem iis, qui peccaverunt tibi, et multitudi-
ne miserationum tuarum decrevisti poeniten-
tiam peccatoribus, in salutem.

Tu igitur Domine Deus non posuisti poeni-
tentiam iustis, Abraham, Isaac, Jacob, aut iis, qui
tibi non peccaverunt: sed posuisti poenitentiam
propter me peccatorem, quoniam peccavi su-
per numerum arenae maris: multiplicatae sunt
iniquitates meae; et non sum dignus intueri
altitudinem caeli pro multitudine iniqui-
tatum mearum.

Incurvatus sum multo vinculo ferreo, ut
non possim attollere caput meum, et non est res-
piratio mihi; quia excitavi iracundiam tuam,
et malum coram te feci.

Non feci voluntatem tuam, et mandata
tua non custodivi: statui abominationes,
et multiplicavi offensiones.

Et nunc flecto genu cordis mei, precans à
te bonitatem. Peccavi Dñe, peccavi, et ini-
quitates meas agnosco.

Quare peto rogans te: remitte mihi Dñe;
remitte mihi, et ne simul perdas me cum ini-
quitatibus meis, neque in aeternum iratus refer-
res mala mihi, quia tu es Deus, Deus, inquam
poenitentium.

Pars II

Exercitia piissima ad illuminandam
mentem, et conservandū spiritum.

Caput I.

Documenta Christiana vitae ab omnibus fidelibus
seriā mente consideranda.
ex Psalmis.